

377.

Papst Honorius III. fordert alle geistlichen und weltlichen Fürsten in Deutschland und auch den Landgrafen von Thüringen auf, sich zu dem Kreuzzuge zu rüsten und empfiehlt ihnen den nun zu ihnen kommenden Deutschordensmeister Hermann von Salza. Lateran (Rom), 1227 Jan. 11.

Hdschr.: Reg. No. 13 fol. 159^b No. 462. Vatikan. Archiv.

5

Gedr.: Mon. Germ. Epp. Pont. 1,253. Pothast 7646. Böhmer-Ficker 6657.

Archiepiscopis et episcopis et nobilibus viris ducibus, marchionibus, comitibus et aliis principibus Theutonic, tam ecclesiasticis quam mundanis. Pridem vobis significasse recolimus, quod carissimo in Christo filio nostro Friderico, illustri Romanorum imperatore semper augusto et rege Sicilie, se, sicut nobis per suas 10 litteras et nuntios intimaverat, magnifice preparante ad terram, in qua deus noster et dominus Iesus Christus generis humani salutem misericorditer operari dignatus est, de infidelium manibus liberandam, nos dilectum filium magistrum domus sancte Marie Theutonicorum, pro ipsius terre procurando succursu ad partes Theutonie festinantem, duxeramus aliquanto tempore retinendum, eo quod eius industria tum pro aliis magnis 15 arduisque negotiis, tum specialiter ad sedandam quandam discordiam inter ipsum imperatorem et Lombardos exortam, nobis erat plurimum oportuna. Cum igitur super ipsa discordia per studium nostrum, actore pacis deo cooperante, salubriter sit provisum, et ipse imperator ad transfretandum illuc in instanti augusto magnifice, prout imperialem decet excellentiam, se accingat, multitudinem navium et alia, que tanto negotio congruunt, 20 studiosissime preparando, sicut eo nobis per sollempnes nuntios et litteras intimante letantes audivimus, et ipsa rei evidentia, prout ab hiis, qui viderunt, asseritur, clarius manifestat; sperantes itaque, quod deus exurgens iudicare disposuit causam suam et Ierusalem sicut diebus pristinis instaurare, universitatem vestram rogamus, monemus et obsecramus in domino Iesu Christo ac per apostolica vobis scripta mandamus et in 25 remissionem iniungimus peccatorum, quatinus zelo fidei ac devotionis accensi, pro Iesu Christi redemptoris nostri amore pariter et timore nec non pro honore imperialis celsitudinis et imperii ita vos ad ipsius Terre Sancte subsidium preparatis, quod illi, qui iam crucis susceperunt signaculum, et alii, quibus id divina gratia inspirabit, in instanti augusto, quo generale passagium est indictum, una cum ipso imperatore deo duce valeant 30 transfretare ad laudem, honorem et gloriam nominis christiani et suarum remedium animarum. Dictum autem magistrum, qui huic negotio totaliter se impendit et tandem ad vos propter hoc omissis aliis negotiis et impedimentis exuperatis accedit, universitati vestre studiosissime commendamus, cuius prudentiam et circa ipsum negotium Terre Sancte sollicitudinem vobis exponere seu commendare superfluum reputavimus, cum 35 laudabilia facta eius ipsum habunde notificent et commendent. Datum Laterani III. idus ianuarii anno XI.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis ac nobilibus viris comitibus et baronibus per Ungariam constitutis.